

DISSERTATIO ACADEMICA,

Sistens

Observationes

circa

Historiam Decimarum Ecclesiasticarum in Svecia.

CUJUS

PARTEM PRIOREM

Conf. Ampl. Facult. Philos. Aboënsj.

P R A E S I D E

**Mag. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,**

*Eloqu. Professore Reg. & Ord Reg. Acad. Litt. Human.
Hist. & Antiquit. nec non R. Soc. Scient. Upsal. Membro,*

PRO GRADU Philosophico

Publico examini submittit

GUDMUNDUS NYSTROM,
Smolandus.

*In Auditorio Minoris die XVIII Junii MDCCXCVI,
Horis. a. m. solitis.*

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

In Sacram Regiam Majestatem

Magnæ fidei Viro,

Reverendissimo Domino

OLAVO WALLQUIST,

Sacro-Sanctæ Theologiæ Doctori,

Diæcœsos Wexionensis Episcopo,

Gymnasiorum Scholarumque per Diæcesin Ephoro,

Membro Ordinis Regii de Stella Polari,

Mæcenati Maximo,

*in tesferam animi pii & venerabundi has pagellas sa-
cratas voluit*

Reverendissimi Nominis Sui

*clens & cultor devotissimus
GUDMUNDUS NYSTRÖM.*



§. I.

Ortam esse sensim in cœtu, qui a Christo nomen
habet, ex temere applicatis legibus Judaicis
eam opinionem, qua *decimam partem frugum, fœtus*
pecoris &c. instituto & jure divino Ecclesiæ atque
Clero impertiendam esse statuebatur, monumentorum
& antiquitatum ecclesiasticarum peritum latere potest
neminem. Quam opinionem, passim sensimque ad-
optatam, ac seculo post Christum natum VI:o jam fe-
re vulgarem (a), Hierarchæ & maxime Pontifices

A

Roma-

(a) Vid. Disf. AND. SKARÉN, *Gentium, præcipue Sveogothicarum quod ad decimas, jura excutiens*, Aboæ a. 1744, Praef. A. SCARIN edita, §. IV sqq. & Disf. BENJ. HULTIN de *Decimis Christianorum*, Lundæ a. 1754, Praef. SV. BRING (Nob. LAGERBRING) edita, §. III sqq. Cfr. THOMASIUS Not. ad LANCEOTTI *Instit. Juris Can.* P. II. p. 1132 - 1139. De instituto Judaico præclare agit MICHAËLIS *Mosaïsches Recht* Tom. I. §. 52 & Tom. IV. §. 192. Recte autem viri docti, etiam ex Protestantibus,

Romani, ut suis rebus apprime commodam, vehementer probare variisque firmare argumentis, suo pariter ac temporis ingenio accommodatis (b), haud neglexerunt.

multi observarunt, (nec omnes tamen æque vel cante vel solide rem explicantes,) cum & æquitas & necessitas postulet, ut non modo Ecclesiæ Doctoribus, sed aliis etiam piis usibus, stipendia tamen aliqua & redditus impertiendi & assignandi sint; haud ineptissimum fuisse hoc & Judæos & alios populos antiquos imitandi consilium, modo sapienter & juste adhibitum atque administratum. Cfr. ex. g. GROTIUS *de Jure Belli & Pacis* L. I, C. I. §. 17, n. 4; THOMASIUS l. c. L. II Tit. 26, p. 113⁴; BRING l. c. p. 4.

(b) cfr. BRING l. c. p. 10. Argumentum, quo usus est P. *Innocentius* III, deinde ubique adhibitum reperitur. Cfr. *Folia Hebd. Aboëns.* a. 1785, n:o 11, ubi Edicta Regis *Magni* quædam de Decimis ab incolis Finlandiæ pendendis, leguntur. Longius vero adhuc progreditur ANTON. DE DOMINIS, *De Rep. Ecclesiast.* L. IX. C. 2 (cfr. THOMAS. l. c. p. 1134): "Qui, Praecepta, inquit, de decimis „cum non sint pure judicialia neque ceremonialia pro solo populo Iudeorum; sed sint moralia & juris Divini „naturalis a Deo comprobati & explicati; illa omnes „homines perpetuo obligabunt de jure, quamvis de facto „a solis fidelibus Dei cognitionem habentibus illa fer- „ventur". Semina hujus doctrinæ jam infunt GRATIANI *Decreto* P. II, Caus. XVI Quæst. I. Can. LXVIII *Decimæ*. Ridiculorum querundam argumentorum e Scriptura S. petitorum exempla sifunt Leges nostræ antiquæ: vid. *Cod. Christoph. & L. Upl. Kirk. Balk.* Cap. I init. *Leg. Sudertii. Kirk. B. Fl. I &c.* Docet porro BRING l. c. quo us-

verunt. Ut igitur cæteros populos sacro suo imperio subjectos, ita etiam nostros majores, postquam ad Religionem Christianam amplectendam perducti fuisse
fent, ad sacrum quoque hoc Decimorum accuratissime & religiosissime solvendarum officium præstandum, magna cura & diligentia permovere & adigere studuerunt; primo quidem modestius & blandius, ne gens ferox recalcitraret, & eadem hic tragœdia exicitaretur, quæ in vicina Dania nuper acta fuerat (c);

A 2

deinde

que jus illud dilataverint Pontificii. Vid. in primis SARPIUS in *Tract. de Beneficiis*, apud THOMAS. I. c. p. 1140 sqq. Ac quod ad quæstionem attinet, de qua idem BRING I. c. p. 12 disputat contra PETRUM ABRAHAMSON (in Notis ad Kg. B. LL. p. 24, qui a STIERNHÖÖKIO, dubie loquente, de *Jure Sveon.* vet. L. II P. Post. C. ult. p. 421 parum habet subsidii), mens ac intentio saltim fuit Pontificis indubia & perpetua, ut fructuum quorumcumque, etiam ex Hortis provenientium, Decimæ religiose & diligenter solverentur. Quod vel ex Bulla patet Papæ BENEDICTI XII in *Registro Eccles. Ab.* Fol. I servata, de qua cfr. *Fol. Hebd. Ab.* a. 1785 Append. p. 124 & Dni Præsidis *Annott.* ad Pauli Juusten *Chronicon Episcoporum Finland.* p. 123, not.

(c) Ubi Rex Canutus Svenonis, idem consilium acerbius urgens, a subditis suis rebellibus interfectus fuit; ideo a Clero, pro cuius commodis martyrium passus fuerat, in numerum Sanctorum relatus. Vid. LAGERBRING *Svea Rikes Hist.* 2 Del. C. I, §. 20 p. 27; & qui rem, Legendæ & Cleri Pontificii ingenio conformiter adornatam, exhibet, PONTOPPIDAN *Annal. Eccles. Dan.* Tom. I Lib. I, C. 3,

deinde imperiosius ac vehementius: donec obsequiofissime tandem per totum regnum observaretur, ac severissimis legibus pœnisque munitum coleretur (d).

§. II.

Vulgo traditur, (ex testimonio Appendix ad Leges vett. Westrogothicas, seriem Episcoporum primorum Scarenium exhibentis, confirmato auctoritate Episc.

ad ann. 1086, p. 221 sqq. Etiam Rustici Scaniæ, armis captis, onus decimarum pendendarum a se amovere conabantur, infelici licet eventu; cfr. LAGERBRING l. c. C. XI §. 7 p. 249. Feroceſ ſeculi mores, magna ſine dubio in culpa erant, cur in Religione propaganda ejusque urgen- diſ officiis, adeo violenter ſeſe & Reges & Ecclesiæ do- ſtores gererent: cujuſ rei atrocifima exempla Historia inprimis Norvegica exhibet. Cfr. BOTIN. *Sv. Folkets Hift.* Ed. II Vol. I p. 272 sq.

(d) Chr. Literæ, humanitatis plenæ, ferociſ alias illius Pa- pæ *Gregorii VII*, apud ÖRNHJÄLM *Hift. Ecleſ.* p 331 (ex *JOHANNIS MAGNI Metropoli* p. 25 & *VASTOVII Vit. Aquilon.* Ed. Colon. p. 154); cfr. A CELSE *Apparatus ad Hift. Sveog.* p. 23, N. 3, & LAGERBRING l. c. C. II §. 6. Postea autem, fi ante diem Paſchæ quis decimas non folviſet, excommunicationis pœnam incurrebat. (Vid. *Legg. Christophor. & Upl. Kirk. Balk XII Cap. Leg. Westrog. K. B. XIV Fl.* &c. Singulare eſt, quod in Literis E- pice, Scarenis *Brynolphī*, Legib. Westrogg. adnexis, men- tione nulla facta excommunicationis, hujusmodi peccato- ribus multa XVI Ortugorum irrogatur: num ad illam pœnam hæc accessit?

Episc. BRYNOLPHI in *Chronico Episcoporum Scarenf.* (a), eodem illo ex fonte magnam partem hausto,) per *Fer-pulverum*, XIII:m Episcopum Scarensem, ius Decimarum pendendarum in Patria nostra fuisse, si non primo inductum, tamen lege solenniter denique firmatum & publica auctoritate munitum: quod igitur circa finem demum sec. XII aut initium sec. XIII factum fuisse, colligunt (b). Verum cum vetus auctor

A 3

de

(a) Apud BENZELIUM *Monum. vet. Eccles. Sveog.* p. 74.

(b) Cfr. LAGERBRING I. c. C. XI §. 7, & in primis not. (1); WILSKMAN (*Svea Rikes Eccles. Värk*, Art. *Tionde*) induitanter ascrit, hoc a. 1200 factum, & pro publico totius Regni decreto venditare videtur. Quod ad observationem attinet, quam ibidem inferit, de titulo ac dignitate *Senatorum Regni*, eodem jam tempore adhibito; suspicamur Episc. Brynolphum, qui vergente fec. XV & initio sec. XVI vixit (BENZELIUS I. c. Prol. p. XVIII sq.) ad sui forte ævi morem verba sua nimis conformasse? Unde & hanc legem in *Concilio Senatorum ac Optimatium f. Procerum (Herredag)* constitutam fuisse dicit, cum tamen in auctore vetere (Append. ad LL. Westrogg.), unde facti memoriam hausit, intentio sit *Comitiorum populi Westrogothici (Ting)*, nec de Senatoribus aut *Senatus consulto* (moribus ac rationi ejus ævi minus adhuc congruo?) verbum illum legatur. Cujusmodi cautio in aliis quoque nonnullis monumentis, res horum temporum tangentibus, erit fortasse necessaria? Cæterum de tempore quo per adoptatos in Senatum Regium Legiferos, potestas Legislatoria a Populo ad Optimates & ad Senatum transiit, cfr. præclari nostri Hiltorici (non usquequaque

de Westrogothia sola, & non nisi de *Episcopali Decima* ibidem constituta, diserte loquatur (c); lis adhuc sub

tamen concidentes) Nobb. LAGERBRING l. c. C. 10 §. 2 & 3 (cf. C. 13 §. 6 & 15), & BOTIN l. c. Vol. II. C. 5 p. 168; quorum egregia diligentia & perspicacia, spicilegii tamen faciendi Antiquariorum criticorum industriae non omnem eripuit opportunitatem.

(c) 'Han kum fyrsta sinni Tiunde af Bondom *Biskupi*, tha „fick han doma til a *Tbingi*, fyrst tha thing hafdis oc „hjolds wider *Aeskubäck*“. Putat quidem LAGERBRING, non potuisse *Decimam Episcopalem* a reliqua Decima (cui inclusa fuit) separari: sed quamdui non ex necessitate, aut vi legis sanctae, sed ex benignitate quadam libera, genus quoddam decimatæ, neque plene, neque forte ab omnibus, pendebat; quidni fieri potuit, ut nonnisi Curatis suis, partem tantum ejus, (forte trientem?) more sensim per imitationem aliorum Christianorum adoptato, sponte darent? Quem morem & accuratius & plenius observari in sua Diocelesi, fede antiquissima Christianissimi, saltim stabiliti, in Svecia, Episcopus, *lege interposita* curaverit, fibi etiam suisque successoribus, jure Canonico debitam partem (fortassis etiam tertias Ecclesiae ac pauperibus dandas?) nunc demum pietati Diocefanorum elicens? Aut num locus ille veteris auctoris omnino non agit de solenni & per leges Canonicas injuncta Decima, sed de illa a Westrogothis inter Sveciæ incolas solis, Episcopo & Curato suo (inter eos æqualiter dividendo) sponte oblato Decimatæ genere, quod *Homodiunde* vocabatur, (*Decima Capitalis*), quodque LOCENIO, in versione Literar. Episc. Brynolphi Legi Westrog. adjunctarum Dec. *Principalis*, in versione vero Legis Westrog. (de Jure

sub judice pendet, quo tempore vel prima hujus moris apud nos recepti quasi semina sparsa sint, vel per universam ille patriam invaluerit? Quod sensim, nec ubivis simul contigisse, erdas? Hoc saltem constat,
hunc

Ecclef. C. XXVIII.) *Universalis* audit (ut & Dno IHRE,
Glosfar. Sveog. T. I p. 920, qui definitioni ejus addit,
fuisse *decimo quovis anno pendendam?*). Hanc *Decimam*
Capitalem etiam in provincia Bahulicensi (an per totam
Norvegiam?) olim fuisse solutam, docet LAGERBRING l.
c. C. XI §. 7 not. (5); unde fortassis exempli contagio
ad Westrogothos pervenit? Rationem gravis fane hujus
tributi, (ex omnibus bonis mobilibus, excepto frumento,
penderdi,) exhibet cum *Lex ipsa Westrog.* l. c. tum Li-
teræ Episc. Brynolphbi nuper commemorata (qui tamen la-
cus uterque, a *Loccenio* non optime versus, commentario
indiget diligenti): quibus addi debet Bulla Papæ Honorii
III ad Episc. Scarensem (*Benedictum* II s. juniores), data
*Laterani III Nonas Novembbris, Pontificatus anno quin-
to* (a. 1220, d. 3 Nov.) in Collectione Bullarum Papalium
in Sveciam misfarum, sed haec tenus in patria incognitarum,
Fredenheimiana reperiunda; quam egregiam Collectionem,
ex Archivis Pontificis Romani accurate descriptam, Bibliothe-
cae nostræ Academicæ munifice nuper donavit perpetuus
ejus benefactor Generosiss. Dn. FREDENHEIM, *Supremus Aedi-
cior. Regiorum Praefectus & Eques de Stella Polari.* Scri-
bit autem Papa: - - - "Decimas in quibus Parrochiani
tui secundum Canonicas sanctiones tibi tenentur, & aliam
Decimam que dicitur Capitalis, ad quam solvendas se
voto voluntarie obligarunt, sicut eas juste ac pacifice
obtines, tibi & per te successoribus tuis auctoritate Aposto-
lica confirmamus" &c. Cf. *TEGEL Hist. Gustavi I*, T. I, p. 129.

hunc morem secundo seculi XIII decennio ita jam invaluisse, ut Papa *Gregorius IX* non dubitaret severis Literis, a. 1233 datis, excommunicationis pœnam Ostrogothis tergiversantibus minari (d).

§. III.

Notum est, dispesci Decimas in *reales* sive *prædiales*, & *personales*, solere; quarum has tam exacte in Svecia, ut multis aliis locis solutas haud fuisse, constat. *Reales* illæ partim ex frumento (tritico, secali, hordeo, avena) partim ex aliis terræ proventibus (pisis, fabis, rapis, olere, lupulo, lino, cannabi &c.) solvebantur (a). Quo etiam pertinebant, quæ ex foecitura animalium domesticorum (*Quicktionde*), nec non **ex** *piscatura* & *venatu* solvebantur (b). *Personales* vero

(d) Cfr. A CELSE I. c. p. 65 n. 14 & 17. Non putas verisimile, vel litteras illas *Gregorii VII* totque Pontificum & Episcoporum curas atque consilia, interim nihil prorsus effecisse, vel Clero nullos omnino per CC annos fuisse in Patria nostra reditus certos assignatos, ac in primis Decimæ pendendæ morem nullibi obtinuisse, maxime in Westrogothia, Danis & Norvegis vicina, ac ad Christianismum mature conversa?

(a) THOMASIUS I. c. p. 1139 lq.

(b) Vid STIERNHÖÖK I. c. p. 421 sq. ubi Decimarum realium genera, qualia apud nostrates pendebantur, diligenter recenset. Decimas ex *venatu* & *piscatu* ad *personales* refert LAGERBRING I. c. XI §. 7, p. 429; minus accurate?

vero sunt, quæ ex rebus proveniunt, quæ sua ipsius solertia industriaque, negotiatione, artificio, militia atque scientia quis sibi comparaverit (c): quarum loco certam pecuniae summam, a Legibus definitam, homines etiam ruri habitantes, sed agros quos colerent nullos possidentes, apud nos pendere debebant. Præter frugum decimam, reliqua omnis Curato cessit; paucis locis exceptis, de quibus infra commemorabitur (d).

§. IV.

Distributio porro harum Decimarum varie olim apud veteres instituebatur. GRATIANI *Decretum* P. II *Caus. XII*, *Quæst. II Can. XXVI Concesso*, in quatuor partes dividi omnes redditus & oblationes fidelium jubet, ut ex his ejus verbis apparet: "Reditus & oblationes fidelium in quatuor partes dividat: quarum unam *Episcopus* sibi ipsi retineat, & alteram *Clericis* pro officiorum suorum sedulitate distribuat: fabricis tertiam: quartam pauperibus & peregrinis habeat fideliter erogandam, quarum rationem divino est redditurus examini". In quibus verbis semina ejus, quæ apud nostros olim majores in Decimarum distributione obtinuit, rationis, reperiē non est

B

diffi-

(c) THOMASIUS l. l. c. c.

(d) Vid. Legg. Christoph. Upl. & Westrog. l. l. c. c. O. Westrog. Kr. B. IX Fl. Suderm. K. B. 6 & 7 Fl. Westme K. B. VI Fl. Dal. K. B. §. 4, 5, 6; & Helf. K. B. VII Fl. Cfr. LAGERBRING l. c. XI §. 7.

difficile. Ejusdem tamen *Decreti* aliis locis (*Caus. XVI, Quæst. I Can. LXII Constitutum*) *Episcopo*, tam de oblationibus, quam de tributis ac frugibus, tertiam partem; alias (*Caus. X Quæst. I Can. VIII Antiquos*,) eidem *de his quæ altario oblatione fidelium conferuntur medietatem, & medietatem secundi gradus Clero tribuere* videtur: ita ut non semper eadem primitus ratio obtinuisse videatur? Ac Dn. DU CANGE *Glossar.* T. II. voc. *Decima* (p. 1334) "Tantum inquit (de ratione distribuendarum Decimarum in Gallia primitus adhibita loquens), "moneo, decimas ecclesiasticas in tres partes divisas, quarum prima ad ornementum ecclesiæ, altera ad patiperes, tertia ad sacerdotes spectabat" (nulla hic Episcopi mentio fit!). Quomodo vero apud nos olim divisæ fuerint, docent nobis STIERNHÖÖK (l. c. p. 409) & LAGERBRING (l. c. C. XI §. 7). Seilicet Decimæ frumenti ita plerumque distributæ sunt, ut triens Pastori s. Curato cederet; residuarum vero in tres partes rursus divisarum una *Episcopo*, altera *Ecclesiæ*, tertia *Pauperibus* (a) tribuere.

(a) Num hæc Decimarum pars, in plerisque extra Patriam locis, sensim ab aliis illis accrescentibus circumrofa partibus, penitus tandem evanuit? Quæ, ut alios taceamus, neque vicinis Danis erat in usu; apud quos, nositissi inter Episcopum, Ecclesiam & Curatum tota Decimarum summa dividebatur: ut mox docebimus. Hinc Dn. DU CANGE l. c. quid sint *Decimæ Pauperum* explicaturus, non aliis quam ex nostro SCHEFFERO (ad *Chron. Archiepiscoporum*,

bueretur: hinc nota sunt nomina nostris solennia *Præstionde*, *Biskopstionde*, *Kyrkotionde* & *Fattigtionde*; quarum tres posteriores, ærario Regis, post reformationem Religionis, dicatae, vocari jam siveverunt *Kronotionde* sive *Konungstionde*, atque etiam aliquando, voce crassis sumta, *Kyrkotionde*. Sed neque apud nostros eadem ubique valuit Decimas distribuendi ratio. *Lex Westrogothica* (K. B. Fl. XIV) diserte sciscit: "A akri skal tiunda skipta ock aflatat; taki Præster swa sum kyrkia är til vigd (b). Sidan skal skipta i threr

B 2

lötä,

Upfal.) petitis utitur testimonii. Chr. tamen EÖHMERI *Ius Ecclesiast. Protestantium* L. III Tit. XXX §. 32.

(b) Excidisse videtur verbum *Tridiung*, quod & contextus, postulat, & collatio locorum parallelorum, in aliis Legibus nostris antiquis obvenientium, confirmat. Ultima verba *swa sum Kyrkia är til vigd* mire interpretatur LOCENIUS: prout *Ecclesia templamque ad eas consecratum est*, cum aperte sit fermo de *Sacerdote, qui consecratus fuerit ejus templi* (vel ecclesie) *Curatus*. Nec LUNDIUS, vel in textu hujus capitinis constituendo, vel in sensu explicando, satis diligenter versatus est. Inter alia, explicatio verborum *Falukappa* & *Faluköpungs*, in hoc capite occurrentium, a STIERNHIELMO facta (in vocabulorum interpretatione, editioni sue Legis hujus adjecta), quam LUNDIUS etiam amplectitur, (nempe ut sit *portio frumenti, Episcopo quotannis Falucopie pendenda*), nobis minime satisfacit. Illam enim ex portione *Pauperum*, domini apud rusticos servanda, hi decerpere debuisse videntur; nec *Præpositi* portione majorem suisse, verba legis docent, atque a Decima Episcopi, longe uberiori-

„lötä, een a kyrkia, annan Biskuper, tridia wåslir „mån”: quibus verbis extremis unus codex, recentior tamen, notatu dignum hoc adjungit interpretationem: ”Thridi skal skipta i tu; en lot til spetalsens, ”ock annan hawi bonde hemma medh sîk, fatöka man „na lot”. Ac in cæteris quoque Codicibus deinde mentio sit frumenti ad *Xenodochium* pertinentis (*spitalskorn*); ita ut pars hujus decimæ instituto ejusmodi consecrata utique fuisse videatur (c). Cum hoc sci-

re, aperte distingvunt (pro cuius etiam detentione duplo major mulcta statuitur), quod idem ex Epistola Episc. *Brynlphi*, saepius laudata, adhuc clarissima patet, ubi sermo est de poena ejus, qui a*f Biskupsins, eller Prästins eller Kyrkiunar, eller Spitalsins, eller Provestar gift, eller Faluköpungs skäppu*, quid retinet. Quid autem rei fuerit, fatemur nondum nosmet scire; ac rem eruditis ejus regionis Antiquariis explicandam remittimus. Asserit Nob. LAGERBRING I. c. C. XIII §. 21 p. 410, *Falcopiam* olim tanti factam fuisse, ut ejus urbis mensura publicæ instar normæ inservierit, omneque frumentum modio *Falcopenfi* (*Faluskappa*) fuerit metiendum. Argumenti loco ad Leg. *Westrog. Kyrk. B. Fl.* 20 provocat; ubi nihil tale habetur. An nostrum indicare voluit Caput (XIV)? Unde tamen parum præsidii illi aserto accedit.

(c) Qui in ejus Provinciæ antiquas res studiosius inquirunt, explicitent etiam nobis, si fieri potest, *Xenodochium* illud, ubinam fuerit? Nisi vetus sententia verba *Brynlphi* nuper alata, suspicati fere fuissemus, *Falcopiæ* illud fuisse: aut num ibi aliud tale iis temporibus fuit institutum publicum? In universum antiquæ nostræ Leges Provinciales (ac in primis Westrogothica), quæ neque criticam hactenus indu-

to Legis Westrogothicæ concinunt *Lex Ostrogothica* (*Kristnu Balk. Flukk.* IX §. 1, 2 & 3) *Sudermannica* (*Kirk. B. Fl. VI*), *Westmannica* (*Kr. B. Fl. VI*), & *Dalica* (*K. B. §. 3*). Paullo aliam in *Helsingia* (hoc est *Norrlandia nostra* hodierna) Oeconomiæ ratio, pro cœli & soli ingenio, agriculturæ minus favente, diversa, decimandi rationem peperit. Igitur præter consuetas *decimas prædiales*, veteri regionis more dividendas, non modo decimam Curato *ex omni piscium & avium capture* (verbis utimur *STIERNHÖÖKII l. c.*), & *ex feris prostratis* debitam, *ut armum ex alce vel urso*, Lex dari jussit; sed etiam Episcopo *decimum quintum* quemque *Salmonem*, *decimam quintam* quamque *libram Harengorum* (*Pund Sill eller Ströming*), tantundemque, ut videtur, *ex phocis & sciuris* captis, cuius decimæ residua pars inter Curatum & Ecclesiam deinde dividi æqualiter debuit (d). Quæ explicantur,

B 3

(ut

striae satis accuratam expertæ sunt, neque interpretem satis attentum & locupletem, pro rei dignitate repererunt, uberem adhuc fundum Antiquariis nostris, in quo colendo elaborent, messemque haud contemnendam colligant, offerre credimus.

(d) Verba Legis *Helsingicæ* (K. B. VII Fl.) sunt: Korn til und ok all annar aker tiund, göris äpti thy gamul sid, wänia hawer warit, ok skiptis samalund. - Quick tiund äller smörnala thet a præster ensamin, ok iwa af fulglum ok diurum, ok sma fiskum allum, bogb af Ålgbi ok Biörni lvarium. Biskuper takí bwan fämpandi Lax, Sildapund, iwa ok af Siál i Graskinnum (lege

(at & reliqua redditum Curato debitorum ratio) disertius in *Statuto R. Birgeri pro Helsingis, de eorum decimis &c.* quod HADORPHIUS adjunxit Legibus antiquis Urbicis, (*Biärkös Rätten,*) a se editis (Stockh. 1687 Fol.) p. 6 sq. Unde patet, triente *Curati* primum demto, tum alium trientem frumenti integrum *Pauperibus* suisce tributum, ac tertium demum inter *Episcopum & Ecclesiam* divisum, ita ut utrius non nisi sextans cesserit: quæ sine dubio causa fuit, eur in partem etiam decimæ ex animalibus, quasi compensationis loco, venerint? Decimæ vero quas *Pontifici* etiam *Romano Helsingiæ* incolas peperdisse, reperimus (e), quarumque in Legibus hujus Provinciæ nulla mentio fit, unde & quo tempore ortum habuerint, quaque ratione solutæ fuerint, expiscari hactenus non potuimus.

In iis Provinciis, quæ Danorum subjectæ olim erant imperio, eatenq; diversa obtinuit ratio Decimas Ecclesiasticas distribuendi, quatenus *Pauperibus* nulla pars concedebatur, sed omnes mox trifariam, (inter Curatum, Episcopum & Ecclesiam) dividebantur. Demonstrat hoc *Jur. Eccles. Scenens.* §. 23 (Ed. Hadorphii, p. 47); cfr. PONTOPPIDAN *Annal. Eccles. Danicæ Diplom.* T. II. p. 293. Unde hodie quoque in iisdem provinciis eadem ratio dispescendi Decimas, scil. in Decimam (trientem) Pastoris (*Präfitionde*), Regalem (*Kronotionde*, quæ ad Episcopum olim pertinens, ærario publico postea vindicata fuit) & Ecclesiæ (*Kyrkotionde*) remansit (f).

„ok Graskinnum h. e. & ex pellibus sciurenis), ok Präster taki halft vidh Kirkiu”.

(e) Vid. LAGERBRING l. c. C. XIV §. I p. 415 sq, in primis not. (4), a CELSE l. p. 65 n. 13, & p. 121 n. 18. Utrum loco *Denarii S. Petri*, vel quo alio nomine elicite illis sint, intercedente scil. eorum aliquando consensu; hactenus non liquet.

(f) Cfr. WILSKMAN l. c. P. I Art. *Krono- och Kyrko-Tionde*, p. 341 sq.